



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Elogium Thomae Stephansonii. n. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

inter studia Theologica Ingolstadij perficienda quid porro acciderit incertum. At *Ioannes* Sacerdotio ante ingressum initiatus, atque Hallæ Cōsultoris & Confessarii munere perfunctus, transmissus Augustam Vindelicorum atq; deinde Ingolstadij Rector memorabili edito facinore diem clausit extremum. *Paulus Hoffseus* earum regionum Prouincialis, magii nominis atque auctoritatis vir, graui afflictus morbo, iamque postremis Ecclesiæ adiumentis munitus, vltimam in horas opperiebatur vitæ periodum: Tanti viri iacturam non facile ferendam arbitratus *Ioannes* " Quid, inquit, si me, inutile pondus, Deo pro huius vita deuoueam?) simul ad ædem Saluatoris octo millia passuum Augustam dissitam se cōsecraturus excurrit. Ratum habuit Deus Religiosum votum: Reuertentem opprimit ægritudo, & lecto affixum, iisdem passibus quibus *Paulus* à morbo conualecit, abluuit. Eoque fuit gravior hostia quo ad tantam suimet abiectionem præter vnam Dei & proximi caritatem, momenti nihil accedere poterat.

XVII His etiam Prouinciis debetur memoria *Thoma Stephansonis*, quem secundo extorem vidimus Watenis. Brunæ tamen in Morauia posuit rudimenta Societatis: Tum Olomucij, & Pragæ, Rhetoricæ, Græcis etiam & Hebræis literis tradendis annos quatuordecim expleuit. Sed altius vt repetamus huius viri labores, Natus Windletoniæ in Episcopatu Dumelmensi, postquam Rhemis primum, deinde Romæ Philosophiæ & Theologiæ operam dedisset, Sacerdotio initiatus, in messem Anglicanam auctoribus *Alanio & Personio* missus est. In Februario anni octogesimali quarti, vt inueteratum in Catholicos, eorumque in sacris adiutores odium consuetis calumniis & maledictis foueret Magistratus Hæreticus, spectatæ doctrinæ & innocentia Sacerdotes duos scelerata nece sustulerat, *Iacobum Fen* & *Georgium Haddock*: postridie eius diei capitur *Stephanonus*, & in arcem Londinentem compingitur: ad dies viginti septem humus nuda lectus fuit, alios quadraginta vno minus ferro onustus iacuit; tum anno vertente, vndecimo calendas Februarias, vnâ cum nouemdecim Sacerdotibus vinculorum sociis cogitur exulare.

Inde Romam accessit, *Personium* quædam ad Historiam adornantem aliquamdiu iuuit. Tum rursus in Angliam cum pluribus annis strenuè laborasset, demum Watenis conqueuit septuagenario maior. Horis subcisiuis vitam *Thoma Pondi* (quem infra memorabimus) ex ipsiusmet *Pondi* aduersariis iusto volumine contexuit, & plura *Personij* opera, vulgari scripta idiomate, latinè reddidit; digessit etiam historiam temporum ab mundi exordio, sed quæ exercitationi potius seruierunt quàm posteritati.

XVIII. *Ioannes Gibbonus* VVellensis Christi paupertatem ex-culi commodis præhabens, Societatem amplexus est Treueris, octauo Octobris anni septuagesimi octauo. Studuerat Philosophiæ & Theologiæ in Collegio Germanorum Romæ, eo progressu vt in vtraque Lauream

Memorable votum profalure. Prouincialis. Annucez Ingolstadij anno 1600. vide Zacchinum 3. p. Hist. l. 5. n. 106.

Thomas Stephansō

Ita Ribadeneira l. 2. c. 38. Alij Iuniū pro Ianuario signant

Ioannes Gibbons,